

Bibliothèque numérique



medic@


**Peyrilhe, Bernard - candidat / Louis,
Antoine - président. - De
brochontomiâ**

1768.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2343, n°25





DE BRONCHOTOMIÂ, THESES ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

Quas, DEO JUVANTE, & præside M. ANTONIO LOUIS, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, Collegii antiquo Præposito, Academia Regiæ Secretario perpetuo, Regio Librorum Censore, antiquo Nosocomii Charitatis Chirurgo Primario, in Exercitiis Regiis à Consiliis Chirurgicis, è Regiâ Scientiar. Monspel. Societate, & ex Acad. Scient. Humanior. Litterar. & Artium Lugdun. Rothomag. & Metensi, Societatis Regiæ Scientiar. Gottingensis, & Imperialis Apathistarum Florentinæ Socio extraneo, Academia Botanices Florentinæ Collegâ Honorario, & in saluberrimâ Facultate Medicinæ Halæ-Magdeburgicâ Chirurgiæ Doctore, tueri conabitur, BERNARDUS PEYRILHE, Occitanus è loco Pompignan, Artium Liberalium Mag. & Medicinæ Doctör Tolosanus, Theses Auctör.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

*Die Sabbati, sextâ Augusti, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.
A. R. S. H. 1768.*

PRO ACTU PUBLICO
E T
MAGISTERII LAUREÂ.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. D C C. L X V I I I.

Bb



D. O. M.
THESES
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.
DE
BRONCHOTOMIA.

I.

HOMO claustris maternis in auras emissus, novo medio immergitur. Qui felix blandis innatabat aquis, mutatio sustentatus subsidio, mox inassuetâ læditur atmosphæâ; duris premitur involucris; inauditis concutitur sonis; atque ut cibum appetere, sic & propriis elaborare organis homuncionem cogit dura sed ineluctabilis laboris necessitas. Qui blandè & quasi passivè vixerat, jam ingratè laboriosam ducere vitam discit. Vagis infans? Mitte lacrymari; multa secum veniens commoda afferet amica dies.

A

I I.

Qui vago oculo fœtum in lumen prodeuntem considerat, vix quidquam, præter lucis usuram, huic de novo accidisse suspicatur. Quàm secùs œconomia animalis peritus afficitur : Hic statutum circulationis curriculum mutatum videt ; hic novas & hucusque sopitas functiones sese explicare deprehendit. Quot subeunt admiranda hoc in infantulo spectacula ! lisdem fruebatur, quibus recens natus, organis, at magna eorum pars inanis jacebat. Interdum tamen hæc, sapiens rerum omnium ordinatrix, natura parabat, ut, datâ horâ, suum quodque inire munus valeat. Jam video recens natum pugnis constrictis, brachiis cruribusque flexis & quasi tonicè rigentibus, respirationem moliri ; mox ampliato thorace, aër intrâ pulmones irruit, irruit & sanguis è dextro cordis ventriculo per vias minùs tritas, solâ naturâ duce, ad sinistrum, rediturus : nec mora, fæces deponere alvinas, lottium expellere, mammam exfugere festinat. Heu ! quanta adest his, quibus frui properas, organis, morborum series !

I I I.

RESPIRATIO est alterna pectoris dilatatio & constrictio, quâ aër in pulmones alternatim illabitur, & ex ipsis emittitur : hinc duplex thoracis motus, alter ampliationis, qui inspiratio, alter coarctationis, qui expiratio audit. Respirationis organa in solida, ut ossa, muscoli, pulmones ; & in fluida, ut aër, sanguis, fluidum nerveum, dividuntur ; quæque discerpes in activa & passiva ; primæ fortis sunt fluidum nerveum, sanguis, muscoli ; posterioris, ossa, pulmones, aër.

I V.

RESPIRATIO in mediâ corporis cavitate, thorace nempe, absolvitur. Est autem thorax cavea ellyptica, ex mechanicâ columnæ vertebralis, sterni, costarumque dispositione consurgens, inferiùs diaphragmate terminata. Ex costarum utriusque lateris dispositione certa exurgunt intervalla, mus-

culis intercostalibus repleta.³ Quamplurimis extrinsecus musculis, quibus pro fulcro est, munitur hæc cavea. Intrinsecus membranâ densâ, tensâ, validâ, lævi, candicante, quæ pleura audit, succingitur. Hæc bifariam dividitur thoracis cavitas, sepimenti ope, (mediastinum vocant) ab osse pectoris ad columnam vertebralem protensi.

V.

PRÆCIPUUM respirationis organum pulmo, viscus est vasculo-vesiculosum, cavum thoracis occupans, mediastino inæqualiter divisum. Triplici vasorum genere conflantur pulmones, aëreis nempe, nerveis & sanguineis. Lymphatica ejus superficiem numerosa perreptant. An non intimam pulmonis structuram penetrant? Exteriùs membranâ pleuræ continuâ viscus hocce cingitur. (a)

V I.

VASORUM aëreorum truncus trachea. In eâ consideranda veniunt caput, truncus & rami seu bronchia: in capite seu larynge notabis, 1°. aperturam, græcis glottis, dictam, figuræ quasi ellipticæ, cartilaginum & muscutorum ope, coarctandæ & ampliandæ pro variis quibus variantur vox & loquela modis: (b) 2°. structuram ex quinque cartilaginibus thyroide seu scutiformi, cricoide seu annulari, duabus arytenoïdibus, epyglottide, atque septem muscutorum paribus compactam: in epyglottidis parte gibbosâ carunculam quandam seu glandulam pinguedine tectam, in parte vero concavâ plures glandulas minores observavit & delineavit Verheyen (a): 3°. ventriculos sive sinus laryngis ex peculiari cartilaginum ligamentorumque configuratione exurgentes

(a) Substantiam pulmonum parenchymaticam crediderunt nonnulli, sed ex internâ tracheæ tunicâ in lobulis pulmonum innumeris in vesiculas orbiculares penè infinitas inter se communicantes extensâ compingi, post sanguinem elutriarum ad oculum ostendit Malpighius in Epist. de pulmonibus ad Borellum.

(b) Vid. Dodart. in H. A. R. an. 1700.

(c) Anatom. tract. 3. cap. 8. p. 140.

4

modò majores, modò minores, voci præcipuè dicatos (b). Truncus è cartilaginibus majus circuli sive annulli segmentum representantibus, atque fibris membraneo-carneis transversalibus sive annularibus, tùm cartilagine inter se connectentibus, tùm annullos earum in parte posteriori integrantibus, componitur.

V I I.

Fistula aërea, cùm primùm intrà pulmones penetrat, in ramos Bronchia dictos scinditur. Bronchia per pulmones dispersa iisdem membranis sed cartilaginibus ritu diverso conformatis instruuntur, ita ut, cùm opus sit ductus istos contrahi, cartilago inferior superioris aream subire videatur. Hi rami multifariam eundo subdivisi, ramosas dant propagines in pedunculos vesiculis membranaceis racematim onustos abeundas. Racemus vesicularum, lobulus audit. Has vesiculas nullius figuræ tenaces, omnium capaces, meritò dixeris: quò validiùs inflantur eò magis ad spheroidream accedunt. Sibi invicem annectuntur vesiculæ, ope textûs interlobularis, membranæ cellulari non adeo absimilis à membranâ communi mutuatitii. Hic vasa omnis generis involvit comitando & partibus vicinis annectit.

V I I I.

VASA pulmonum sanguinea sunt arteriæ venæque pulmonales, & bronchiales Ruifchii. Arteriæ cum venis congeneribus multifidas bronchiorum divisiones secutæ non uno modo terminantur: quarundam enim in glandulis bronchialibus finis est; aliæ in ductus exhalantes facessunt, aliæ demum venarum pulmonalium radicibus ortum præbent. Ex ultimis his divisionibus mirè inflexis, contortis, angulatis, exurgit densissima hæc vasorum compages extimam vesicularum aërearum faciem perreptans, à Malpighio primùm detecta & inventoris nomine, *rete mirabile Malpighii*, dicta.

I X.

SUAS habet glandulas pulmo, quarum præcipuæ ad an-

(b) Hos sinus perspectos habeat chirurgus, cùm corpuscula, inter inspirandum aut alio quocunque modo deglutita, ibi nidulantia lethi nunc tardi, nunc præcipitis causa esse possint.

gulum cujusque bronchiorum divisionis reperiuntur, usus & structuræ adhuc ignotæ. Nec omittenda glandula thyroïdea falcis formam referens, in supremâ laryngis parte sita, thyroïdi & cricoidi cartilaginibus, tribus aut quatuor primis annulis cartilagineis & nonnullis musculis accumbens, ignotæ structuræ & usûs. Nervos habet pulmo ab intercostali & pari vago.

X.

NON ille est physiologorum consensus de respirationis usu, qui de necessitate. Posteriorum sæculorum authores genuinos cum factitiis usus permiscuè tradiderunt. Neoterico-
rum inventa, æconomiam animalem physices face irradiantia, usus respirationis dilucidarunt; ventilationem ejusque farinæ fragmenta cætera in fabulosam somniorum patriam amandarunt. Missis ergò antiquorum placitis, respirationis usus ex meris physicæ principiis depromere conemur.

X I.

SANGUINEM in pulmonibus ruborem saltem intensiorem, densitatem majorem nancisci, sanguinem adulti cum fortis pisciumque cruore conferenti facile patet. Per varios pulmonum modulos, tranantem sanguinem incalescere, eumque accessione aëris refrigerati ipsa rerum natura suadet. Insignis perspirationis pulmonalis affluxus sanguinem condensari fortè & depurari innuit. Alternus pectoris motus viscera abdominalia, diaphragmatis ope, quassat, referat; digestionem, chyli progressum, excretionem alvi & vesicæ promovet. Voci, loquelæ, olfactui inservit. Aër cohibitus corpus firmat.

X I I.

AN aër fluidum nerveum sanguini vel in parte vel in toto suppeditet? An acidum universale, an lucis & electrici fluidi materiem præbeat? An sanguini pro diverticulo pulmo sit, quærenti facilis responsio.

X I I I.

DE necessitate absolutâ respirationis ubi semel eâ fructus est

homo consentiunt physiologi : ipsi pisces aëre orbat, ut in stagnis frigore adunatis videre est, intereunt : Vermes si oleo unxeris, aëris beneficio orbatos necabis. Quânam autem aëris quantitate pulmones alternatim impleri & depleri vitæ necessitas exigat determinare maximè arduum est. Hanc pro animi, corporis, temperaturæ atmosphære variâ conditione variare notum est. Verum enim verò non is sum qui minimæ inspirationi vitali terminum præfigam. Respirationem in placidam & violentam ipsa natura partivit : In primâ à 40 pollicibus cubicis aëris dilatantur pulmones ; in alterâ 220 pollices sine noxâ suscipiunt : ut hæc fortè crescere, sic illa stupendum in modum decrescere valet, ut in syncope, lypothymiâ, lethargo, hystericeis insultibus contingit mirari.

X I V.

ABSOLUTIS quæ de organisimo & usu respirationis habenda erant, nunc de læsâ respirationis functione, quæ pro penso est, agendum, & quomodò in agone versanti homini, ob impeditum aëris in pulmones aditum, succurrat chirurgia palam faciendum. Quò intricatior machina, eò deturbationi obnoxior : ex suprâ positis patet quot molienda respirationi concurrant organa. Missâ nihilominus totâ morborum dyspnoïcorum classe, uni adhærebimus anginæ quam pertractandam suscepimus.

X V.

ANGINA generatim spectata est morbus plus minùsve acutus, laboriosâ, continuâ respiratione, cum faucium angustatione, aut strangulationis sensu, vel cum, vel sine febre inflammatoriâ, notatus.

X V I.

BINAS tantùm anginæ species divum senem posuisse fatentur interpretes ; cuiam *Κυρδλχης*, aut *Παρακυρδλχης* nomen impo- fuerit, ambigitur : Quod verò medici primis post Hippocratem sæculis singulis anginæ speciebus & differentiis certa assignaverint nomina, graves explanatoribus illatura anxietas

(a) Anginæ nomine omnis inflammatio circa fauces & œsophagum comprehenditur.

7
res, testantur Trallianus (a), Ægineta (b) &c : Internorum laryngis musculorum inflammationem vocabant cynanchen, externorum verò paracynanchen ; si interiores pharyngis musculos inflammatio obsideret synanchen, si exteriores parasyanchen dixere.

Ultimis his temporibus mirum quot ex stupendâ celeb. professoris (c) eruditione emerferint anginae species : Sub anginae genere hæc habentur species : angina pituitosa, paralytica, suppuratoria, ab hyoïde, œdematosa, schirrosa, cancrofa, admirabilis, equina, uvularis, trachealis, thymica, ab aneurismate, hysterica, œsophagæa, à deglutitis : sub cynanche istæ, cynanche legitima, catarrhalis, tonsillaris, trachealis, thymica, à deglutitis, vulneraria, hepatica, ab hydrargirofi, plethorica, arthritica, synochalis, thyphodes, pharyngea.

X V I I.

MISSA luxuriante hâc anginae partitione, cum melioris notæ scriptoribus parcius anginam discerpere magis naturæ consonum duximus. Duplex observatur anginae species, prima sine tumore, altera cum signo aliquo tumoris externi internive apparet.

Prior species vel in fine morborum diuturnorum, exhaustis viribus, occurrit, vel sine signis manifestis prægressi morbi hominem corripit. Dirum hunc morbum inanita exsuccaque corpora urgentem, eâ quâ solet curâ Hippocrates anglus Sydenham, synanches nomine descripsit, dum ait, synanchen collapsio, gracilitas, pallor comitantur : oculi cavi, intus demersi, fauces & uvulæ retractæ, tonsillæ multò magis subfidentes, vocisque privatio (d). Hæc ferè semper signum imminuentis mortis est, & rarò curatur.

X V I I I.

UT morbos prægressos sequitur illa anginae species ita quandoquæ sanos, saltem apparenter, homines invadit :

(a) Lib. IV. cap. I. p. 219.

(b) Lib. III. cap. XXXVII. pag. 39.

(c) D. de Sauvages, Prof. Reg. Monspel. altissimæ doctrinæ vir, quam à longo tempore efflagitabat curatoria ars, operam aggressus est : morbos in classes, genera, species disposuit, ast cum tam pretiosum caput mors immaturum abstulerit, tantum opus debitâ liturâ coercendi subrepta est occasio : utrum in enumerandis anginae speciebus, varietatem quandoque pro specie assignaverit, eruditi dijudicent.

(d) Sect. I. cap. V. pag. 122.

testantur observationes absque ullis signis morbi antecedentis subito impediri deglutitionem vel respirationem, vel utramque simul, atque mox mortem sequi, licet nullus tumor apparuerit. Talem morbum catarrhum suffocativum dixerunt medici, & immedicabilem judicarunt, eo quod in nonnullis hoc morbo denatis, pulmo suppuratus repertus fuerit. Hujus morbi meminit Hippocr (a); & Schenckius (b) observationem refert, quâ de catarrho conjecturam fulcire conatur illust. Van-Swieten (c).

X I X.

ANGINA tumore partium stipata varia sortita est nomina 1 ratione loci quem tumor (d) occupat, 2 indolis, 3 exitûs: hinc œdematosa, catarrhosa, inflammatoria purulenta, schirrosa, cancrosa, convulsiva est. Varias quas hi tumores occupare possunt partes, ut accuratè dignoscere ita & distinguere chirurgus perutile est: aliæ enim manui instrumentis armatæ obversæ sunt; aliæ acutissimam oculorum aciem fugiunt; aliæ ferrum, cauteria, scarificationes, ligaturas poscunt; respuunt aliæ: partes autem quæ his tumoribus sedem præbent sunt lingua, ejus muscoli, palatum, tonsillæ, uvula, hujus musculi, (cava ossium frontis, maxillæ superioris, ossis sphenoidis quandoque occupans polyposa concretio respirationem lædit) musculi ossis hyoïdis, laryngis, asperæ arteriæ membrana muscularis interna, ejus glandulæ, thyroïdea, musculi pharyngis, œsophagus.

X X.

RECENSITIS valdè affinis est morbus liberum aëri in pulmones aditum abnegans, ob laryngis tracheæ angustationem à corpore deglutito, intrâ laryngis ventriculos, fauces, tracheam, aut ipsum œsophagum adactò, productam. Hic acutie, morte præcipiti, accidentium atrocitate acutissi-

(a) Aphor. XII. Sect. III.

(b) Lib. I. de Catarrho. Observ. V. pag. 149.

(c) Vir eruditione medicâ jam dudum celebris casum Caroli IX. Galliarum Regis, ruptâ vomica suffocati, ad anginam catarrhosam revocat. An allucinatus fuerit statuunt Artis periti.

(d) Vide pag. 6. §. XV.

mæ anginae proximus accedit, *angina à deglutitis* nuncupatur (a). Cum œdematosa, catharrofa tenuis, purulenta, fchirrosa, cancrofa angina faciliè admodum dignoscantur, & raro iis Bronchotomiâ succuratur, consultò illarum descriptionem omittimus, ne iis quæ de inflammatoriâ, convulsivâ, atque de operatione Bronchotomiæ dicenda sunt, angustior supersit pagella.

X X I.

ANGINA inflammatoria inter morbos acutissimos jure numeratur; cum quandoque subitò, frustra etiam adhibitis efficacissimis remediis, strangulet: verùmtamen ratione loci quem tumor occupat, insignis tam in prognosi quàm in curatione occurrit diversitas.

Hujus mali causa in genere est id omne quod inflammationem quamcumque valet producere, peculiaris partium laborantium habitus, exercitium frequens & validum, aër inspiratus fervidus fauces & tracheam exsiccans, &c.

X X I I.

MULTUM inter se anginas differre ratione partium laborantium dictum est: cum autem inflammatio, 1 tonsillas, 2 pharyngem, 3 musculos hyoïdis, 4 fistulam pulmonalem, 5 laryngem obsidere valeat, totidem, lucidioris ordinis gratiâ, constituendæ visæ sunt anginae inflammatoriæ species.

I. Si uvula, tonsillæ, velum pendulum, ejus musculi inflammantur, tumor patulis faucibus oculo detegitur; deglutitio respiratione difficilior, ingestorum, ob summos inter deglutiendum dolores, per os eructatio, perpetuum salivæ stillicidium, dolor acutus in aure interna, surditas talem anginam comitantur. Hæc si levis vel nulla adsit febris, non adeò gravis, si contrà inflammatio vehemens sit & valdè extensa & simul valida febris ægrum urgeat, quandoque lethalis evadit.

II. Si sola pharynx eodem infestatur morbo, tumor ore diducto apparet, respiratio vix læsa, deglutitio impedita admodum vel impossibilis est; ingesta per nares redeunt, & quandoque in tracheam derivantur, undè tussis atrox: priori gravior est angina hæc, & sæpiùs ægros trucidat.

(a) Sauvages, Diemerbroeck.

III. Angina ab inflammatione validâ musculorum hyoïdî & laryngi elevandis inservientium orta, eo dignoscitur quod vix respiratio lædatur; interdum tamen deglutitio in primâ suæ exercitationis actione acutissimè dolet: occurrit crebrò hæc angina species & multos enecat. Lethalis, morbi dolosè benigni, eventus, purulentæ è faucibus in pulmones metastasi, adscribitur (a).

IV. Internæ fistulæ pulmonalis membranæ musculosæ inflammationem hæc præcipua comitantur phænomena: calor, tumor (b), dolor, febris acutissima, vox clangosa, sibilans; inspiratio intensè dolens, frequens, parva, sublimis, anhelans; cita mors: quo autem propius glottidi & epyglottidi malum est, eò magis lethale.

V. Dùm inflammatio laryngem obsidet, imprimis si malum in musculis, tum elevandæ tum deprimendæ glottidi inservientibus, sedem habuerit, dirissima, subito strangulans adest angina. Ejus signa ut præcedentis (n. 4); quibus subnectuntur dolor in elevandâ larynge, dùm deglutitionem molitur æger intensè urgens; laboriosa admodum, citissima, acutissima vox, cita mors. Hæc omnium atrocissima angina species, vix capit medelam.

VI. Convulsis pharyngis, laryngis musculis, subita & suffocativa oritur angina; rarò sanos homines corripit; morbis convulsivis, tetano episthotono, hysteris, epilepticis insultibus ut plurimum intervenit; & eosdem quos hi morbi, licet graviores, portendit eventus.

XXIII.

PRIMIS jam medicinæ annis ars in debellandis anginosi affectibus manca visa est: nunc post repetitas ex multiplici fonte venæ sectiones ad corporis inanitionem usque, gargarismata, fatus, purgationes, scarificationes, cucurbitulas, vesicantia, topicorum omnis farinæ applicationes e vivis discedebant ægri; nunc prædictis subsidiis applicandis occasio, præcipiti morte, præscindebatur. Hæc, malâ ægrotantium sorte, edoctus omni laude major Hippocrates, malorum eventuum fontem lynceo oculo investigans, primo quasi intuitu comperit: sed pro dolor! egena ars tanti ingenii divitiâs

(a) Vide pag. 14. paragr. XXVI, & pag. 18. paragr. XXX.

(b) Hic acutissimam oculorum aciem fugit.

undequaque efflagitabat. Nunc hæc, nunc illa artis portiuncula divi senis arripiebat animum. In tanto rerum negotio mirum minimè videtur si quædam tantæ artis objecta tantummodò adumbraverit, mirum potius illum nonnulla perfecisse. Præfocatos vidit anginosos, & ad conservandum expeditum aëri in pulmones aditum omnem curam contulit; summis ægri instantibus, inquit, *fistulæ in fauces ad maxillas usque intrudendæ, quod spiritus in pulmonem trahatur* (a). Rude licet & damnosum hoc tentamen sagacem Hippocratis finem patefacit. Neque hic constitisset laudatus author nisi partium cartilaginearum abscissionem immedicabilem reputasset. Asclepiades, eximii judicii vir, scripta medica mordaci limâ collimans, fractis fistulis, intentum ab Hippocrate finem tracheæ divisurâ explevit felicius (b). Nondum adoleverat hæc operatio, cum, Asclepiadis famæ detractor infestissimus Cæl. Aurelianus, hanc atro dente discerpere enixus est (c), e veteribus medicis, qui post Asclepiadem scripsere, alii (d). Laryngothomiam calumniati sunt, alii hujus nullam fecere mentionem (e); alii demum hanc commendarunt, descripserunt; occasiones illam celebrandi determinarunt, cautiones inter operandum assignarunt. Ex laudatorum authorum scriptis patet hanc operationem in usu fuisse primis post Asclepiadem temporibus. Inter medicos laryngotomiæ patronos eminet Antylus, qui hanc celebrasse videtur. Ex Antylo hanc operationem descripsit & laudavit Paulus Ægineta. (f) Oribasius, medicus & chirurgus Juliani imperatoris, nostram operationem accuratè describit, laudat, ornat. Inter Arabes Avicenna (g), Albucasis chirurgus, cui

(a) Hipp. de morb. lib. III. cap. X. chart. T. 7. pag. 585.

(b) Asclepiades ultimum auxilium posuit, in iis qui maximè suffocantur, laryngem incidere. Galen. in Medico. cap. XIII. chart. T. II. pag. 379.

(c) Est etiam, inquit, fabulosa arteriæ ob respirationem divisura, quam laryngotomiam vocant, & quæ à nullo sit antiquorum tradita, sed caducâ atque temerariâ Asclepiadis inventionem affirmata. Cæl. Aurel. de morb. acut. lib. III. cap. IV.

(d) Aurelianus, Aræteus.

(e) Celsus & alii.

(f) Lib. VI. cap. XXXIII.

(g) Quumque synanches vehementiores fiunt & non valent medicina, & creditur quod perditio futura sit, illud per quod speratur evasio est scissio cannæ. Avicen. Lib. III. Fen. 9. tract. I. cap. II.

senescentis chirurgiæ restitutoris nomen inditum est, Avenzoar, qui nostram operationem exemplo fulcivit, Bronchotomiam commendavit, licet hanc instituere, ut Albucasis verbis utar, *propter infamiæ metum*, veriti sint. Quid de tracheæ divisione posterioris ævi chirurgi senserint sequentibus innotesceat pagellis.

X X I V.

BRONCHOTOMIA est asperæ arteriæ incisio, eum in finem facta, ut alternus aëris in pulmones ingressus & è pulmonibus egressus per viam hanc artificialem tandiù obtineatur, quandiù solita via obstructa est. Derivatur à *Βρονχος*, guttur, & *τομή*, secō. Vocatur etiam laryngotomia, tracheotomia.

Circà hanc operationem perquirendum incumbit, 1^o. an periculosa, 2^o. quibusnam morbis hâc succuratur, 3^o. in quonam morbi stadio celebranda, 4^o. tandem quânam perficienda encheiresi.

X X V.

BRONCHOTOMIA, incerto opinionum vento jactata diù, hucusque firmo stare talo nequivit. Quamquam, ex quo dissectas cartilagineas coalescere notum est, nullum alicujus momenti argumentum contrà hanc operationem positum sit, pauci tamen existerent chirurgi, qui eam in praxim adduxerint, idque vel periculi metu deterriti, vel agendi oportunitate destituti, vel ab ægrorum amicis, propter rei novitatem, revocati. Nulla tamen hâc operatio simplicior; nulla malorum eventuum minùs obnoxia *Sola cutis est quæ inciditur, & tantillum membranullæ cultello dividitur (a)*. Quis adeò pusillanimis ut leve vulnusculum tracheæ infligere paveat, cum nullæ ferro occurrere possint partes nobiles, vasa majora nulla, nulli insignes nervorum furculi; cum hujus fortis vulnuscula citò coalescant? Manus hæret anxia? magna tracheæ vulnera feliciter, nullo quasi negotio, curata passim apud authores vide (b). Vide hanc operationem fausto successu, quo-

(a) Detharding, Disput. Chirurg. Selectæ Hallero. edit. tom. II. p. 419. Vide pag. 19.

(b) Vide Albucasis, lib. II. cap. 43. Fabr. ab Aquapendente, pag. 140. Dionis, p. 479. Garengot, Oper. pag. 455. Bartholinum, & numerosas hâc de re Observationes in jam laudatis Dissertationibus, D. Louis, *Mém. de l'Acad. Roy. de Chir. an. 1768*, & passim in iisdem commentariis.

13

ties tempestivè celebrata est¹³, terminatam. (a)

X X V I.

I. Licet angina (parag. XVII.) descripta maxime periculosa sit, & ut plurimum mortem portendat, Bronchotomiam nihilominus non respuit: & fane, nonnulli ex hoc morbo convaluere (b); non ergo fato ineluctabili lethalis morbus, cui gravis & symptomatica respirationis læsio accingitur quidni, pessimâ habitâ prognosi ad Bronchotomiam recurreretur, cum hâc ope vel servatam vel saltem protractam vitam fore, fas sit conjicere.

II. Anginæ catarrhoxæ prestans subsidium est Bronchotomia. Hic constant vires, suffocantur ægri, præclusâ aëri viâ: aude novam parare! nec te tuî, artisve fama moretur. Morbum prorsus lethalem pronunciarunt medici (c). Novam, si fervetur, dabit chirurgia vitam. Objicietur haud dubiè inexpugnabilem esse causam morbi; sed quid tantæ ferociæ præ se fert *magna lymphæ lentæ & viscidæ* copia ex ore post mortem eructantis, ut in casu à *Schenckio* memorato contingit (d). Hæres anxius? magnum audi Fabricium ab Aquapendente, *etiam si enim asperæ arteriæ repletionis aliquot signa adsint nihilominus secarem, cum sectio sit tutissima.*

I. Inter anginas tumore stipatas levior (Parag. XXII, n°. 1.) ut plurimum venæsectionibus largis, precipitanter celebratis, repetitis vincitur: verum si his debito tempore adhibitis, non remittat morbus, at potiùs ingravescat, cito ad Bronchotomiam recurrendum, ne ferior sperato defraudetur successu.

II. Paulo gravior est morbus ab inflammato pharynge (Ibid. n°. 2.) & sæpius ægros enecat: licet dum recens morbus est, sua fervetur respirationi libertas, tamen si debita respuat remedia, mox serpet labes, ægros suffocatura. Cur ergo non ii quoque ægri Bronchotomiæ beneficio donarentur.

(a) Habicot, in peculiari dissert. de Bronchotomiâ, D. Martin Apud Van-Swieten Comment. in Aphor. Boerrhaav. pag. 813. Bauchot, *Mém. de l'Acad. Roy. de Chirug. T. IV*, p. 508. Caslerius, in tractat. de vocis auditûsque organis. pag. 119.

(b) Van-Swieten, p. 566.

(c) Idem, p. 568.

(d) Apud eundem, p. 567.

III. Infulto ut plurimum eventu finitur hæc (Ibid. n^o. 3.) anginae species. Licet enim primis diebus vix respiratio lædatur, mox serpit labes & superiora respirationis organa inficit. Millena hinc ansam arripiunt mala: partes enim inflammatae magis, magisque intumescunt, adjacentes comprimunt. Novi inde inflammatorii infarctus, novum tumoris incrementum, nova fluido tranaturo obstacula. Venæ juguli ratione viciniae coarctantur: Cohibitâ crassiori sanguinis parte, tenuior effluit; densius hinc accedenti cruori impedimentum (a). Superiores obstaculo partes, facies, oculi, tonsillæ, velum pendulum, pharynx, larynx, cerebrum ingurgitantur, tument, inflammantur. De novo accedentem sanguinem cerebrum respuit: prepeditâ intra calvariam viâ sanguis, ad has deflectitur partes quâ minùs resistitur: hinc sanguineus hepatis (b), pulmonis infarctus, mox suppuratione finiendus (c). Obrutis interea (d) cerebro atque pulmone, collabuntur vires, collabitur unâ tumor anginosus, liberior redit respiratio: solatium fallax certæ mortis nuncium! His in circumstantiis pulmo plerumque suppuratus à morte cernitur, metastasi-que strages adscribitur. An id jure merito fiat, seriò quisque perpendat. Cum, invitis vulgaribus auxiliis, multos de medio tollat hæc angina, his frustra tentatis, ad Bronchotomiam incunctanter confugere consultum ducimus.

IV. Fistulæ pulmonalis inflammatio dirissima est, anginas (n^o. 1, 2, 3,) descriptas vincit acutius; atque citâ morte, paucis nimirum horis (e), miseros perimit. Quid in casu adeò præcipiti à vulgaribus auxiliis sanæ mentis medico sperandum? Si his in ipso insultu tentatis, non remittat morbus, nequicquam speratur & inceptâ viâ pergitur; paucis horis aëris beneficio orbatus e vivis discedet æger. Si te divinus servandorum hominum incitat ardor, ad Bronchotomiam confuge, est enim remedium unicum ad quod confugiendum in his

(a) Clariss. è Collegio nostro Chirurgus D. Arnaud, in ægro anginâ denato jugulares internas & carotides cruore instar ceræ compacto obrutas comperit. Apud Garengot, p. 444.

(b) Van-Swieten, pag. 618.

(c) Nuper vidimus cum regii exercitus in Germania degerent centenos milites intra triduum peripneumoniâ peremptos, in quibus post mortem pulmones suppurati, ita ut vix quidquam aliud præter Bronchia superesset, inventi sunt.

(d) Anginâ laborantes apoplectici intereunt.

(e) Hoc morbo sæpe vidimus sublatum ægrum horis octodecim confante mente, integrisque viribus. Fernel Patholog. L. V. Cap. IX.

casibus, (videlicet in anginâ) nec periculosum, ut apparet (a). Audacter ergo laryngem pertunde, & velut è mortuis redi-vivus æger, vitalem captabit auram. Cum talis inflammatio ratione abolitâ functionis tantummodò lethalis evadat, hâc restitutâ, vel sponte cessabit, vel dato otio, debitis auxiliis expugnabitur faustissimè. Neque sumus nescii existere in medicis (b) quam plurimos, qui vulnus in arteriam asperam infligere, atque sic etiam hanc operationem instituere prohibent, hi incre-pantem Heisterum audiant: facere aliter vix possumus, quam ut pro imperitis, timidis atque adeo crudelibus cum Casserio (c) il-los habeamus, qui in casibus supra memoratis operationem istam valde sæpe salutarem, tutam ac promptam temere negligunt, atque sic simul ægros ejusmodi sine convenienti adhibito auxi-lio mori sinant.

V. Omnium pessima est angina quæ caput tracheæ (Ib. n^o. 5.) obsider; solitis auxiliis rarè admodum expugnatur (d). De hâc dicta sunt quæ (Eod. Parag. n^o. 4,) mox de fistulæ pulmo-nalis inflammatione habuimus (e).

VI. Si convulsis laryngis pharyngisque musculis respiratio intensè lædatur & suffocationis imminet periculum, de morbo principali habitâ prognosi, tracheam tunde: casus in quibus convulsiva hæc angina occurrere solet, supra (n^o. 6, Pa-ragr. XXI.) delineati sunt.

X X V I I.

ANGINÆ finitimus est morbus à luxatis & intropressis colli vertebrais, deglutitionem & respirationem valde lædens. Licet hic morbus sæpe sæpius per se lethalis sit, nihilominus Bronchotomiæ beneficio quosdam servari posse ægros, fas est conjicere.

(a) Rodrigues à Fonseca. Consult. XXII, Tom. I.

(b) Heister. Instit. Chir. pag. 674.

(c) In tractat. de vocis auditusque organis. p. 119.

(d) Mulierem hoc morbo animam agentem ad auras revocavit hirudinibus ad laryngem turmatim applicatis D. Gourfaud A. R. Ch. Socius.

(e) Dolet Tulpus in nautâ pleni habitus hoc morbo correpto frus-trâ tentasse optima quæque: nihil non molitum; sed urgentior fuit ne-cessitas, & vehementior ab incluso spiritu strangulatus, quam ut juvâ-rint ipsum vel sanguis maturè ex utroque brachio detractus, vel incisâ ra-nula; vel cucurbitulæ, gargarisationes, clysteres, cataplasmata, aliaque satis celeriter adhibita. Observ. medicar. Lib. 1, cap. 51, pag. 96. Similem casum vidit Van-Swieten: paucarum horarum spa-

Tonsillæ tumefactæ & induratae, polyposæ concretiones nonnumquam ægros suffocant : talem casum vidit Cel. Boerhaavius (a) ; cumque nihil ipsi super esse visum esset præter polypi erradicationem, hanc iussit ; verum, dum se huic operationi perficiendæ accingebat Chirurgus, patiens suffocatus interiit. Quidni servatus fuisset æger peractâ prius laryngis incisurâ.

Fungosæ carunculæ ipsi laryngis ventriculis innascentes, stimulam coarctando, ægros lentâ morte trucidant ; eoque certiori letho quod vel ægiè dignoscantur, aut notæ, jure immedicabiles habeantur (b).

X X V I I I.

CORPORA extranea quæ librum aëris in pulmones aditum impediunt, Bronchotomiam indicant. Porro res heterogeneæ varias sedes occupare solent ; (1) vel enim œsophago faucibusve hærent, (2) vel in tracheam arteriam lapsæ sunt, aut ipsam transfigunt (3) vel demum in laryngis ventriculis nidulantur.

tio periit æger. p. 590, T. II. in convivio tali anginâ correptum procubuisse hominem, antequam ullum remedium adhiberi potuerit, noverrat Cel. Boerrh. ibid. Tales ægros haud dubiè servasset tempestiva laryngis incisura.

De hac & precedenti anginæ specie meminit celsus his verbis : neque is servari potest, qui sine ullo tumore febricitans strangulatur.

(a) Apud Van-Swieten, pag. 673. Confer. Blancardi *Anatom. Practic. ration. Observ.* 100, p. 191.

(b) Blancardus *Anatom. Pract. ration.* raram habet observationem de ancilla quâdam quæ, cum lixivium inspirasset imprudentius, subito pectoris angustia, quæ per septennium duravit, correpta est. Tandem bene-pasta de repente denata est. Aperto cadavere in asperâ arteriâ propè meatus per quos aër irruit carunculæ quamplurimæ nigri coloris, minorum glandularum instar, fabarum & pisorum magnitudinem nunc æquantes, nunc excedentes, inventæ sunt. Obs. 57, p. 131. Talem morbum non semel mirari contigit in Nosocomio Parisiensi vulgò de la Salpêtrière.

(1) C. Stalparti Vander Wiel *Observ. rarior.* pag. 92. Plater. *Observ. Lib. 2*, pag. 386. Blancard. *Lib. citato Observ.* 40. Hevin, *Mém. de l'Acad. R. de Chir. Tom. I.*

(2) Dodonæi, *Observ.* pag. 304. illustr. de la Martinière, Regis Chir. Prim. raram de aciculâ laryngem transfigente observationem promulgavit in publicis Comitibus A. R. Chir. an. 1768.

(3) Tulpius, *Lib. 2*, *Observ.* 7. Bartholin. *Hist. Anat. Cent. 6*, *Hist.* 15.

Legantur quæ de his omnibus doctè disseruit. D. Louis, *Mém. de l'Acad. R. de Chir. Tom. IV.*

Non

Non æquè urget variis in circumstantiis tracheam incidendi necessitas, sed pro suffocationis periculo variat. In primo casu paragr. precedentis tentanda prius lædentium corporum extractio, vel in ventriculum detrusio; in secundo, maximè si rimula occludatur, incunctanter ad Bronchotomiam confugiendum; in tertio denique casu, si corpusculum in fistula pulmonali hereat, & duriusculum sit, & intensè lædatur respirationis negotium, vix speranda evasio, citòque citiùs ad operationem deveniendum (a).

XXIX.

Ex suprà dictis elicitur in quibus affectibus sit secunda trachea, & ubi abstinendum sit: *Breviter (b) in omni difficultate respirationis secunda est, ubi suffocationis periculum imminet, & alia remedia non conferunt, si modo tota aspera arteria & pulmo colluvie non sunt repleta, & malum ab impeditâ aëris in pulmones viâ pendeat.*

XXX.

De tempore, quo Bronchotomia instituenda est, authores ambigunt. Quidam hanc modò sinunt celebrari *cum mors fuerit indicata (c)*, & pro desperato ab adstantibus habetur æger. Hæc fuit mens veterum; cùmque hâc ratione maxima ægrotantium pars post operationem expirarent, hoc remedium genus odio habebatur. Neoterici œconomix animalis ducti, homicidam veterum expectationem damnarunt: *præstat priùs (d) Bronchotomiam instituere quam ægri vires exhaustæ sint.* Docet Heisterus hanc operationem justo tempore, dum adhuc vires & spes sunt, esse suscipiendam: ubi enim jam infirmati ægri sunt, & quasi in agone versantur, ut plerumque fieri solet, frustra ut plurimum ferrum jugulo

(a) Talem casum vidit laudatus D. Louis in puellulâ 7. Annorum nata, quæ inter jocandum fabam in tracheam immiserat. Urgebant accidentia. Bronchotomiam suavit, obstantibus tum Chirurgis advocatis, tum parentibus, omissem. A morte, quæ 51. die contigit, peractâ Bronchotomiâ, nullo quasi negotio faba exempta fuit. Acad. R. de Chir. Tom. IV.

(b) Fabric. ab Aquapendente, p. 138.

(c) Rhafis.

(d) Junker. Consp. Chir. p. 623. Heist. Inst. Chir. pag. 677.

admovetur. Sic ait Boerrhaavius (a) ; si morbus sit maximè *récent* & strangulans, & præmissa subsidia respuerit *statim*, instituenda est Bronchotomia. Incisio laryngis (b) in principio morbi tutissima atque efficacissima, ferius in Anginâ vehementi celebrabitur, si quasi extremum remedium adhibeatur. Et sanè, ab aëris defectu vix explicatur pulmo, mox ingurgitatur ab irruente sanguine : mortifera hinc ansam arripit peripneumonia : objecto obice, dexter cordis ventriculus depleri nequit & sanguinem à toto corpore reducem respuit ; inde lethalis omnium viscerum infarctus, maximè cerebri (c). In tali rerum Angustiâ quid admotum jugulo ferrum, quid parata aëri via ? Nescit vitalem cerebrum instillare rorem, nescit obrutus pulmo solita obire negotia.

Suus, inclamant cum veteribus timidiore, servandus Chirurgiæ Chirurgoque honos ! Ast quam crasse falluntur dum in otiosa mortis contemplatione artis laudem constituunt ! Audeat ars homines ab orci faucibus eripere, sic meritis donabitur palmis, sic, ut Esculapio quondam, sibi positas aras mirabitur.

X X X I.

OPERANDI ratio pro variâ indicatione variat : vel enim corpora in tracheam delapsa extrahenda sunt, vel danda aëri porta.

Si corpusculum quoddam è fistula pulmonali sit eximendum, in situ, Chirurgo sibi que commodissimo, ponatur ager ; mox ministro à tergo stante firmetur caput. Deinde elevatâ utrinque cute, pars duos circiter digitos infra cartilagineum scutiformem scalpello incidatur, in medio tracheæ secundum longitudinem, plus minusve pro necessitate ad sternum protrahatur vulnus. Tum, diductis vulneris labris, incidantur tres quatuorve hujus fistulæ annuli. Admotis tandem vossellâ, specillo, hamulove quam solertissime extrahatur illapsum corpusculum (d). Absterfa admotaque vulneris labia, lina-

(a) Aph. 812.

(b) D. Louis loco pluries citato.

(c) Infarcta viscera si persistent vires, suppurata ; si desint livida à morte deprehenduntur. Hæc testantur Hipp. Ap. 10, Sect. V. Qui anginam effugiunt illis in pulmonem vertitur, & intra septem dies intereunt, si vero hos effugerint suppurati fiunt ; & Blancardus, p. 132, 258. Lib. citato.

(d) Hæc ratione se frustum boleti cocti è trachæâ extraxisse narrat

mentis carptis operata, situ, emplastro, debitâ fasciatione firmentur. Sic quam citissimè coalescet vulnus.

X X X I I.

BRONCHOTOMIA, pro avertendo suffocationis periculo in Anginâ celebrata, triplici ratione expediri solet.

Enkeirefsis 1a. Ægro in situ apto (Parag. XXXI.) collocato, Chirurgus cutem, adipem, musculos incidit; deinde scalpellum inter binos tracheæ annulos immittit; ope scalpelli specillum in tracheam ducit, quo ductore, aptus demittitur tubulus, debitâ fasciatione firmandus & reticulo operiendus, ut aër à crassioribus expurgatus corpusculis pulmones ingrediatur.

Enkeirefsis 2a. In loco superius designato, scalpellum acutum, utrinque secans providè per cutem, adipem & musculos uno ictu in tracheam adigitur. Postea specilli ope tabulus in fistulam ducitur, & firmatur ut suprà.

Enkeirefsis 3a. Acus, apice triangulari donata, per medium jugulum ad tracheam usque uno ictu defigitur. Extracta acu, tubulus in vulnere relinquitur: Cautiones Eadem quæ suprà.

Enkeirefsis 4a. Supra descriptis facile palmam preripit novissimè à D. Bauchot (a) excogitata enkeirefsis. In hac administrandâ utitur Chirurgus scalpello ancipiti, tubulo argenteo ejusdem figuræ instructo. Si fortè trachea minus stabilis deprehenditur, hanc, ope instrumenti cujusdam semi-circulum referentis, firmat. Fulcatum hoc instrumentum non modò tracheæ stabilitatem consiliat, sed & acui secanti fulcrum suppeditat. Constabilitâ tracheâ, admovetur Bronchotomus & uno ictu in tracheam defigitur. Retractâ acu, firmatur tubulus, ut suprà dictum est.

Heisterus. Inst. Chir. pag. 675. Eâdem ratione Rauium fabam è gutture feliciter excidisse, fertur. Verduc, Path. Chir. Tom. II, Cap. 26. Immanem tracheæ divisionem in casu ultimæ necessitatis non horruit D. Virgili. doctè audacem juvavit fortuna. Mem. de Acad. R. de Ch. T. I, p. 582.

(a) Navalium Regis exercituum, necnon Nosocomii Regii in portu sancti Ludovici Chirurgus nuper precipuus methodum & instrumenta excogitavit & fausto eventu tracheæ admovit.

Inter præcipua hujus methodi commoda hæc recensere ju-
vat. 1°. Hoc instrumento citius & expeditius in tracheam
itur. 2°. Adæquatiùs coit cum apertura tubulus. 3°. Com-
pressis à tubulo vulnuscule labiis præcavetur hæmorrhagia,
quæ, si casu sanguis in Bronchia depluat, accidentibus an-
sam prebere valet.

FINIS.